



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 8. De pedum lotionē.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

MEDITATIO VIII.
DE LOTIONE
pedum.

PUNCTVM I.

a Ioan. 13. 1.



Sciens IESVS, a quia venit
hora eius, vt transeat ex
hoc mundo ad Patrem, cum
dilexisset suos, qui erant in
mundo, in finem dilexit
eos.

HOC est proœmium & ingressus S. Ioan-
nis, ad mysteria Passionis Christi, quæ sequen-
tur. circa quem perpendendæ sunt proprietates
amoris, quem Christus Dominus noster,
erga suos discipulos, & omnes suos, qui vel
tunc viuebant, vel in posterum erant in hoc
mundo victuri, habebat. Prætermittendum
est autem, tres tunc familias suorum habuisse
CHRISTVM, vnã Angelorum in
cœlo, alteram Iustorum in Lybbo, & ter-
tiam discipulorum in hoc mundo. Et quamuis
hi vltimi multis aliis essent permixti, qui,
quod mali essent ipsius non erant; imò &
ipsi culpas aliquas & imperfectiones adhuc
haberent, eos nihilominus tenero quodam
& paterno prosequatur amore: quia ipsius
erant, hoc est filij & amici ipsius, seruique fi-
deles.

HINC colligentur amoris huius proprie-
tates.

tates. PRIMA est, quòd eos tanquã propriam rem suam dilexerit, & consequenter sicut se ipsum; immò quodammodo plus quàm se ipsum; siquidem morti proximus, sui, & imminentium sibi laborum oblitus, totum se, vt illis indulgeret, impendit, pro quorum vita b tradidit in mortem animam suã, & eorum iniquitates portauit, vt eos iustificaret, eorumque debita solueret. O dilecte animæ meæ, si tu me amas vt rem tuam, ego dico quod te amo, vt rem meã: nam vt ego sum tuus, ita es tu meus. Ego sum creatura tua, mancipium, & filius tuus; tu verè es Creator meus & Redemptor, Dominus meus, & Pater meus. Ego te volo diligere non tantùm sicut me, sed supra me, & supra omnia, siue quæ sunt creata, siue imperum creabuntur: quia dignissimus es, qui super omnia diligaris.

SECUNDA proprietas est, quòd perseueranter vsque ad finem eos dilexerit. Amavit eos, dum vixit in hac vita, & vsque ad finem eius, & amavit quamdiu ipsi vixerunt, donec finis etiam illorum peruenit; & amabit omnes suos vsque ad finem mundi. O amor IESU constantissime, cuius ignem *c aqua multa* immensarum tribulationum, non potuerunt extinguere, nec flumina innumerabilium tormetorum obruere. O quoties meis ego peccatis volui, quod in me erat, ignem istum suffocare! sed præualuit tamen ille, semper, benefaciens ei, qui malè ipsi seruebat, d *prunas congregans super caput eius* qui quotidie multiplicauit offensiones. Ne-

cesses

I.

Amoris Christi erga suos proprietates.

b *Isai. 53. 11. 12.*

II.

c *Cant. 8. 7.*d *Pro. 25. 22. d Rō. 12. 20.*

cesses me in finem diligere, Saluator mi, vt ego te sine fine diligam. Amen.

III. TERTIA proprietas, quod eos dilexerit maximo amore, & sine limite ad eum vsq; terminum, quod potest amor peruenire, agens & patiens pro illis summum, quod potuit; & quod agere & pati conueniebat; cupiens multo plura sine termino, si ad eorum remedium fuisset necessarium. O dilecte mi, & ego te diligere

*e Deut. 6. 5. opto, vt amoris præceptum præscribit, e ex te
Matt. 22. 36. to corde, & tota anima, & ex omnibus viribus
meis, sine vlllo termino, ad illum perueniens, si
possem, ad quem amor creaturæ erga suū crea-
torem peruenire potest. Cuperem plus te di-
ligere, quàm Angeli, & Seraphini diligant; &
si possibilis mihi esset infinitus amor, illo te
vellem diligere, & sine vlla defatigatione, ac-
te mihi auxilium ferente, semper in amore
erescere: donec ad finem à te perscriptum, a-
mando peruenirem: quia dignus es amari sine
fine.*

IV. QUARTA proprietas fuit, quod eos dilexerit in finem, in quem videlicet illi fuerant destinati, vt scilicet in mortali hac vita, ipsū diligerent, ei que seruirent; in æterna verò ipso fruerebantur. Non enim illos dilexit, vt illis diuitias, honores, aut diuitias tēporales conferret: quia nō erat hic ipsorum finis; sed vt omnia illis gratiæ suæ media tribueret, quibus consequerentur finem gloriæ. Amavit illos sibi ipsi, qui principium & finis est omnium rerum, vt eosdem amoris coniunctione sibi cōiungeret,

in quo

in quo tanquam in ultimo fine requiescerent:
 O dilecte mi, utnam te in eum fit ē diligere:
 in quem tu me dilexisti / nō te diligo Domine,
 ut temporalia mihi bona dones, sed te diligo:
 quia tu me diligis, & ut dones mihi bona spi-
 ritualia, quibus in amore tuo crescā, tibi que
 sine fine coniungar, qui meus es ultimus finis,
 & suprema beatitas. Amen.

*Hos amoris affectus exercere contendam in
 subsequentibus Meditationibus, cum proprie-
 tatibus prad. Etis.*

PUNCTVM II.

COENA facta, a cūm Diabolus iam mi- ^{a Ioan. 13. 2.}
 sisset in cor, ut traderet eum Iudas Si-
 moni Iscariotes: sciens quia omnia dedit ei
 Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad
 Deum vadit: surgit à cœna, & ponit vestimen-
 ta sua, & cūm accepisset linteum, pracinxit se.
 Deinde mittit aquam in peluim, & cœpit laua-
 re pedes Discipulorum, & extergere linteis,
 quo erat pracinctus.

CONSIDERANDA hic est excellentia
 personæ, quæ facit hoc opus, modus etiā quo
 illud per se ipsum facit, & mysterium Incar-
 nationis & Passionis, quod nobis proponit.

PRIMUM immorandum est in eo, in **L**
 quo ipse Euangelista Ioannes in facti huius
 descriptione fuit immoratus: perpende-
 mus, in quam, excellentiam personæ, quæ ad
 opus tam vile se deiicit, atque est lauare

pedes

pedes discipulorum suorum. Quidem aliorum est is, qui se demittit; sed est maior cēfenda humiliatio; ipsaque humilitas eō erit magis heroica, quō excellentior est persona in qua illa inuenitur. Ad quod aspiciam in Christo Domino nostro, quod habet in se quā Deus est, & quod hīc habet, quā est homo. Quā Deus, est in Coelo, in medio innumerabilium Angelorum, qui ad eius pedes prostrati, illum adorant: quā homo, est hīc in paupere coenaculo, in medio vilium piscatorum, prostratus ipse ad eorum pedes, ut eos lauet! quā Deus, *decorem induit est, & fortitudine se pracinxit*, qui manibus suis omnia creauit: quā verō homo, exiit vestimenta sua, pracinxit se linteo, & manibus suis lauat pedes sordidos suarū creaturarum! Nominatim verō perpendendum est, quod & ipse perpendit Euangelista; quod hīc ipse Dominus, qui se hīc humiliat, sit infinitē sapiens, cui nihil sit occultum, nec propria excellentia, nec vendentis Discipuli nequitia, nec vilitas & timiditas ceterorum, quos habet in suo conspectu. Est etiam infinitē potens; quia Pater aeternus, omnia posuit in eius manu & potestate, communicans illi, quā Deus est, suam omnipotentiam vi generationis aeternae; & quā homo, propter hypostaticam cum verbo aeterno vnionem, est etiam Filius Dei naturalis, à quo natus est ab aeterno, venitque in mundum, ut ei remedium adferret: & postquam mortuus fuerit reuertetur ad Deum, ut sedeat in throno, ad dexteram Patris. Et cum totum

Psal. 92. 1.

hoc

hoc sciret clarissimè, voluit tamen se demittere ad hoc opus. non itaque se humiliavit, quod ignoraret quid ipse esset, nec quòd aliquis ipsum ad id cogeret, nec quòd ipse ex abiecto esset genere, aut abiectam haberet intentionem, aut finem aliquem abiectum sibi proponeret: sed propterea solùm, quòd se voluerit humiliare, & nostri causa & amore serui formam accipere, perfectissimè amplectens consilium illud sapientis *c quanto magis es, humilia te in omnibus.* O humilitas infinita, quæ in persona infinitæ dignitatis, adeo resplendes, ad confundendam superbiam infinitæ meæ vilitatis! Si IESVS infinitè sapiens & potens, ad eò se deiecit; quomodo ego summè ignorans ac debilis ad eò me extollo? Si Dei filius, qui à Deo exiuit, & ad Deum vadit *d semetipsum exinanivit, formam serui accipiens,* quomodo ego filius iræ, & mancipium Diaboli, qui expulvere conditus sum, & in eundem puluerem reuertar, me erigere præsumo, & velle, vt aliquis mihi tanquam Domino seruiat. O humillime IESV, libera me ab hoc spiritu superbix, & constitue in profunda humilitate, qui tot nominibus teneor esse humilis.

PERPENDAM deinde, quòd altissimi humilis Domini humilitas comis fuerit ac diligens, perficiens totum hoc opus ipsemet, absque alterius auxilio, in signum maioris amoris: nam ipsemet ponit vestimenta sua, seipsum præcingit, & aquam mittit in peluim, & por-

c Eccl. 3. 20.

d Phil. 2. 7.

II.

erat ad locum ubi sedent discipuli, se se proster-
nit, ac lauat non manus, sed puluerulentos &
lutosos pedes; ipsemet eos beneuolè abstergit
linceo, quo erat præcinctus, sibi ipsi compla-
cens, dum hæc omnia per seipsum facit: docens
me huiusmodi humilitatis & charitatis opera,
per meipsum præstare, gaudens potiùs manus
ad id apponere, quàm ut alij faciant iubere; &
opus quodcunque humile sine aliqua iactan-
tiæ macula præstare. O Magister amantissime,

e Matt. 11. 29
qui nihil loquens, clamas tamen: *discite à me,
quia mitis sum, & humilis corde.* Concede mi-
hi hanc mansuetudinem, & beneuolam humi-
litàtem; ut gratiam inueniam in oculis tuis.
f Iudic. 9. 16
cui humilium & mansuetorum placuit semper
deprecatio.

III.

QVOD si huius externi operis magna est
humilitas, maior multò est humilitas & soli-
citus, quàm illa refert, quàm ipse erga nos
omnes exercuit. siquidem cum filius Dei esset,
g Phil. 2. 7.
nostri causâ *semetipsum exinaniuit, formam
serui accipiens;* exiit etiam vestimenta gloriæ
magnitudinis suæ, præcinxit se carne mortali
& patibili, magnisq; pœnis subiectæ, & mon-
te Caluario, permisit spoliari se valde igno-
minio. è vestibus suis, & ibi pro aqua effudit
totum pretiosissimum sanguinem è venis suis,
deponens illum in sacramentis, quæ, ad nos è
nostris culpis abluendos, constituit: & ut nos
mundi maneremus, voluit purissimum lin-
teum sacratissimæ suæ humanitatis, quo se
præcinxerat, remanere in extrema specie for-
didum

didum & eodem sanguine maculatum. O Deus
 eterne, quid tibi referam pro ijs, quæ mei
 gratia fecisti! cupio exuere omnem tempora-
 rem fastum, & me pœnitentiæ rigore præ-
 tingere, sanguinem meum amore tui funde-
 re, eas pœnas subiens, quas tu ob culpas meas
 subiisti: & *h postquam fecero hac omnia, di-*
cam me esse inutilem seruum, qui nec mini-
 mam partem eorum faciam, quæ meus Do-
 minus fecit. h Luc. 17. 10.

PUNCTVM III.

CONSIDERANDVM præterea, quid
 euenerit CHRISTO Domino cum
 Sancto Petro, quando ad eius pedes la-
 uandos accessit, & colloquia, & mutua vtri-
 usque verba.

PRIMUM obstupefactus Petrus de sui
 Magistri humilitate, dixit: DOMINE
 TV MIHI LAVAS PEDES? qua senten-
 tia, patefecit viuam suam fidem de Chri-
 sti maiestate, & de sua vilitate, & abiectio-
 ne illius operis, ad quod se Christus abiicie-
 bat. Et interna facti huius consideratione
 & perpensione, magno admirationis & stu-
 poris affectu, erupit in illa verba; *Domine*
tum mihi lauas pedes? TV DEVS infinitus, Cæli
 terræque Creator, Angelorum & Seraphi-
 norum Dominus, MIHI creaturæ tuæ, man-
 cipio tuo, peccatori vilissimo & sordidissimo,

manibus istis, quæ dant lumen cæcis, sanicatem ægrotis, vitam mortuis, LA V S, non caput meum, aut manus meas, sed sordidos & horridos PEDES meos! ego Domine deberem tibi seruire, & tuos pedes lauare, & neque ad hoc me iudico dignum: & tu vis mihi lauare? Hinc discam altissimè de Christo, de me autem humillimè sentire: & conferens, quæ Deus adeo altus, fecit erga hominem adeo vilem, eliciam affectus admirationis, actionis gratiarum, & imitationis.

II.

His Sancti Petri verbis, quæ à magno eius feruore procedebant, respondit Christus Dominus noster, cum instruens: & ad id, quod expediebat, dirigens: *quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea*: atque si illi diceret, quod ego nunc facio, mysteriũ continet, quod tu necdum assequeris; sed postea illud tibi aperiam: nunc sine te gubernari, cui Petrus adhuc in suo feruore persistens: *non lauabis mihi*, inquit, *pedes in æternum*. insticit verò Christus, *si non lauerote, non habebis partem mecum*. Perpendendum autem hic, quàm grauitè Christum Dominum nostrũ offendat quælibet inobedientia, & mens rebellis, & vel ipsa insinuatio pertinaciæ in proprio iudicio, quæ uis humilitatis & reuerentiæ pallio veletur, siquidem hoc solum vitium, sufficiens fuit, ut Christus horrendas illas minas Petro proponeret: *non habebis partem mecum*. quasi diceret, non eris amplius meus Discipulus, non te patiar in schola & societate mea, nec te ad

Regni mei hereditatem admittam. Ex quo discam, nunquam resistere voluntati Dei, & superiorum meorum, vlllo pretextu apparentis virtutis; sed iudicium meum, primæ admonitioni subicere, & primæ correptioni, quæ est amoris; priusquàm accedat secunda, quæ minas continet & timorē inculcit. Nam etsi essem Christo ita coniunctus, atque S. Petrus, tantumque æterni Patris fauorem expertus, quantum ille fuit, non vltra durabit gratia & fauor, quàm durauerit obedientia: & quamprimum hæc cum pertinacia defecerit, fauor quoque gratiaque deficiet. Obone IESV, exemplar omnium perfectæ obedientiæ, ne permittas mihi à proprio meo iudicio imponi, vt tibi illud præferam aliquando; neque vlllo humilitatis pretextu, propriam sequar voluntatem, tua relicta: ne horrende illæ minæ, mihi eueniant; vt non habeam partem tecum.

III.

DENIQUE expendam, quàm fit mihi necessarium, à Christo Domino nostro lauari, & à peccatis meis mundari, siquidem nisi ille me lauet, non habebō partem cum illo. Et ob hanc causam, non dixit Christus: *si non lauerō pedes tuos; sed si non lauerō te, non habebis partem mecum.* O mundi Saluator, fateor me sordidū esse, & innumeris peccatis maculatum, à quibus ego me non possum lauare: quia peccare quidem fuit mentem, sed peccatum remittere, tuum est, quare *amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Et postquam semel laueris me, *amplius adhuc laua, vt maiorem*

iorem tecum partem habeam, & lecurior sim
ne ab illa excidam.

PUNCTVM IV.

QVARTO considerandum, quem effe-
ctum habuerit in corde S. Petri, hae
Christi Domini responsio & admoni-
tio.

I. IN PRIMIS enim ad hanc admoniti-
onem Christi respondit Petrus: *Domine non
solū pedes, sed & manus & caput.* Quibus ver-
bis, magnum suum erga Christum amorem o-
stendit, maximi que facere, semper cum ipso
manere; grauisimè verò se laturum, ab eius so-
cietate separari. Ideoque dixit: *Domine, si ad
partem tecum habendam necesse est, ut me
laues; laua non solum pedes, sed & manus & ca-
put.* ex quo discam, me Deo meisq; superior-
ibus dedere, saltem ob timorem ne separer a
Deo: nam hic timor non est seruilis & mani-
piorum; sed est filialis & iustissimorum; efficit
enim, ut quis Deo se dedat, ne ipso careat. Ac
propterea Christus Dominus non dixit Petros
*si non lauero te proiciam te in infernum; sed
non habebis partem mecum;* sicut qui cupit sibi
obediri ex casto timore, non seruili.

II. HVC Petri petitioni, respondit Christus
a Ioan. 13. 10 Dominus noster, dicens: *a qui lotus est, non
indiget, nisi vt pedes lauet; sed est mundus totus.
Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim,
quisnam esset, qui traderet eum. Qua sententia
voluit nos docere, eum, qui per baptismum
& pe-*

& poenitentiam à culpis lethalibus est lotus, et si censetur esse totus mundus, quia munditiam habet necessariam ad gratiam & amicitiam cum Deo; nihilominus indigere, ut pedes lauet ab affectibus terrenis, & culpis lenioribus, quæ ex conuersatione & commercio rerum terrenarum facile adhærescunt: quod etiam est necessarium, ad partem cum ipso Christo habendam, in eo sensu, quod non admitemur in cœlum, donec ab his etiam culpis mundemur: quod etiam nobis continget per ipsum Christum Dominum. Ex quo deducam quàm graue malum sit peccatum veniale, (sicut S. Bernard. benè perpendit) & quantum porro debeamus illud horrere, ob duas causas. *Prima*, quia non remittitur, nisi expensis sanguinis Christi, cuius virtute, ab huiusmodi maculis emundamur. *Secunda*, quia non est possibile, habere nos partem in cœlo cū Christo, nisi prius vel in hac vita, vel in purgatorio igne alterius purgemur. Quoniam verò balneum illud purgatorium est acerbissimum, ut alibi diximus, magnæ prudentiæ erit, si quidem quotidie lenioribus hisce culpis maculor, frequenter uti iucundis lotionibus, quas Christus reliquit in Ecclesia.

DENIQUE causam perpendam, cur dixerit Christus: *vos mundi estis, sed non omnes*. Voluit enim obliquè monere Iudam suæ immunditiei, à qua omninò esset necessarium lauari, sub ea interminatione, quod nunquam esset alius cum ipso partem habiturus; & obiter

*Serm. in
Cæna Do-
mini.*

*Medit. vii.
1. part.*

III.

me etiam monere, vt diligenter attendā, dum à grauioribus culpis, sim immunis; nam inter multos mundos, aliqui sunt immundi, & forte ego vnus eorum sum. Et quamuis vel vnicus sit, non potest Christum latere, qui mundos ab immundis scit optimè discernere.

PUNCTVM V.

CONSIDERANDVM præterea Christum Dominum nostrum, progredientem in hoc humilitatis & charitatis opere, etiam ad Iudam peruenisse, & ad pedes eius cum pelui sua prostratum, pedes eius lauisse, & linteo tersisse, sicut fecerat reliquis imò aliquibus maioris beneuolentiæ & amoris indicijs adhibitis, ad eum emolliendum. Estque fas credere, ad cor illi locutum dixisse: O Iuda discipule & Apostole mi, quid tibi feci, vt tanto me odio prosequaris, vt me vendere statuas? Si quam aduersum me querelam habes, en me ad pedes tuos prostratum, fac mihi quod libet, modò ne offendendo me tu pereas. Qui corporis pedes tibi lauat, cupit etiam animæ lauare maculas: ne lauari refugas; nullam alioqui mecum partem habiturus: quod

a Matt. 24.
51.

si mecum partem non habebis, a pars tua erit cum hypocritis & fictis in miserando illo loco, vbi erit fletus, & perpetuus stridor dentium. Licet etiam credere, eundem CHRISTVM Dominum, lacrymas ex oculis suis fudisse, ob illius animæ duriciem & miseriam, quas mi-

scuerit

acuerit in pelui cum aqua, vt etiam illis, eius
 laualet pedes, sed nihil tamen profecit: quia
 erat cor eius obstinatum, & à Sathana posses-
 sum. Profuerit tamen hoc exemplum, vt di-
 scam ex eo diligere inimicos meos, & facere
 quantum potero, & ad veram cum Deo & me-
 cum, propter amorem eius, amicitiam eos re-
 ducam. Ex duritie etiam Iudæ accipiam docu-
 mentum, vt ex alieno periculo exemplum ca-
 piens, cautiior efficiar, memor eius quod dixit
 sapiens: *b impius cum in profundum venerit* *b Prou. 18. 3.*
peccatorum, contemnit, & illud, c considera o- *c Eccl. 7. 14.*
pera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille
despexerit, quia ille prius voluit Deum despi-
cere. Contemplare, anima mea, attentissimè
 duo hæc, quæ coram habes exemplaria: alte-
 rum maioris charitatis, alterum maioris du-
 ritiei, quàm vnquam fuerit in mundo! quò e-
 nim potuit vlla charitas altius ascendere, quàm
 vt ipsemet Deus sese demitteret ad lauandos
 pedes proditoris, qui de eius prodicione &
 vendicione tractabat! Item quò potuit duri-
 tia alicuius proditoris altius pertingere, quàm
 vt non emolliretur immensa eius charitate,
 qui ad eius pedes prostratus esset! O Deus a-
 nimæ meæ, commuta quæso cor meum, & *d Ezech. 36.*
aufer cor lapideum de carne mea, & da mihi *26.*
cor carneum, vt sentiam diuinos tuos pul-
 sus: & amplectar tua beneuo-
 la exempla.

PUNCTVM VI.

FINITA pedum lotionē, Christus Dominus noster soluit linteum, quo fuerat præcinctus, obseruans maculas peccatorum alienorum, quæ in causa erant futura, quod sanctissima eius humanitas, tingerecur proprio suo sanguine, qui ut nos à nostris peccatis liberaret, erat fundendus. *a Ioan. 13. 12* ego laui pedes illorum, & accepit vestimenta sua, cum recubisset iterum, dixit eis; scitis quid fecerim vobis? vos vocatis me Magister, & Domine: & bene dicitis: sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros, Dominus & Magister: & vos debetis alter alterius lauare pedes; Exemplum enim dedit vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen, amen dico vobis, non est seruus maior Domino suo, neque Apostolus maior est eo, qui misit illum. Si hæc scitis beati eritis, si feceritis ea. Non de omnibus vobis dico, ego scio quos elegerim.

I. PERPENDENDVM hic primum, quid sibi voluerit illa Christi interrogatio: scitis quid fecerim vobis? Sensus enim est, num intelligitis mysterium, quod in hoc meo facto latet? & in quem finem illud fecerim? Docet enim nos non omnes, qui externa ipsius opera vident, etiam assequi secretum & spiritum illorum. O cœlestis magister, clarifica superno tuo lumine, oculos meos, ut si de viua credam, intelligam, ac penetrem ea, quæ pro nobis fecisti,

sti; vt ex omnibus fructum capiam, ad gloriam tuam, Amen.

DEINDE perpendam vim illius rationis, qua dixit Christus: *si ego Dominus & Magister laui pedes vestros*; quantò magis decet, vt vos alter alterius lauetis pedes? Hoc est, vt alij in alios, humilitatis & charitatis opera exhibeatis; siquidem toto tempore vitæ meæ, harum virtutum exempla vobis dedi, in quibus, me imitantes, exerceamini.

II.

ULTIMO perpendam postremum illud verbum: *si hac scitis beati eritis, si feceritis ea.*

III.

Qua sententia nos docet, non satis esse virtutum exempla nosse, quæ ipse nobis præbuit, nisi etiam opere illa exsequamur: nec beatum aut electum ad cælum eum esse, qui ea nouerit, vt in cognitione hæreat; sed qui nouit & imitatur: siquidem Iudas, qui præsens aderat, ea, quæ coram oculis eius fiebant, ignorare non poterat; sed quia non imitabatur, ideo fuit reprobatus. O salus mea, siquidem hoc me beneficio affecisti, vt sciam quæ fecisti pro me, complacet tibi, vt totum id exsquam, quod mihi iussisti. Fateor Domine, me non facere quod scio, nec exequi quod intelligo: quapropter merito *b vapulabo multis* b Luc. 12. 47 sicut ille seruus, qui nouit voluntatem Domini sui, & non facit secundum eam. Parce Domine præteritis meis erratis, & permoue me ad eorum emendationem: vt sim ex numero tuorum electorum, & tandem beatus, te fruens in æternum, Amen.

MEDITATIONES DE SAN-
ctissimo Eucharistie Sacramento.



INITA lotionē pedum Aposto-
lorum, & finito colloquio, &
sermone, quem Christus ad illos
habuit, ad mysterium declaran-
dum, quod in ea actione latebat; maiora alia
quædam voluit illis ostendere amoris indicia,
quo illos prosequeretur: magis adhuc bene-
uola signa, quod illos in finem dilexerit; nec
solum in finem vitæ ipsorum, sed etiam ad fi-
nem usque mundi: ideoque excellentissimum
voluit instituire sacramentum, in quo ipse
verè & realiter cum ipsis maneret a usque ad
consummationem seculi, exhibens illis solen-
ne & iuge conuiuium, in quo proprium suum
corpus comedendum, & proprium sangui-
nem bibendum daret, modo quodam admi-
rando, suavi, & deliciarum plenissimo, ut
in meditationibus subsequenti-
bus apparebit.

2 Mat. 28.
20.